CORNELII TACITI
DE ORIGINE SITU MORIBUS AC POPULIS
GERMANIÆ

LIBER

SUETHICE REDDITUS ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS.

DISSERTATIO ACADEMICA

CUIUS PARTICULAM PRIMAM

VENIA AMPLISS. FACULT. PHIL. UPS.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

JOH. FERD. HULT

PHILOS. CAND. GOTHOB.

AD SCHOL. NOV. ELEMENT. ADJ.

IN AUDIT. GUST. A. D. X KAL. JUN. MDCCCLXIII.

H. A. M. S.

HOLMIÆ, 1863.

P. A. NORSTEDT & FILII.

BENGT DAHLGREN

MERCATORI GOTHOBURGENSI.

HOC OPUSCULUM

PIA MENTE DICAT

AUCTOR.

Cornelius Tacitus Interamnæ in oppido Umbriæ equestri loco natus esse putatur. Quo anno natus sit, inter doctissimos viros non satis constat, sed videtur is fuisse annus 54 p. Ch.[1]).

Diligenter eum omni ea disciplina, qua illa ætate pueri uti solebant, institutum fuisse, multa in scriptis ejus sunt atque præclara documenta. Quomodo autem, quum ad rempublicam accessisset, singula ei evenerint, difficile est persequi; ipse dicit, *Hist. I. 1:* »*Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim*», quod Nipperdeyus recte quidem sine dubio censet respicere honores illos Quæsturam, Ædilitatem vel Tribunatum, Præturam. Prætor certe fuit anno 88[2]), Consul a. 97. Post an. 100, quo quidem anno a senatu jussus una cum Plinio minore aderat Afris, qui Marium Priscum repetundarum accusaverant, videtur in privatæ vitæ otium secessisse.

Ex scriptis Taciti, quæ exstant, primus editus esse videtur Dialogus de Oratoribus, quem anno 81[3]) scriptum esse Nipperdeyus putat; Agricola autem fine anni 97 vel initio a. 98[4]), Germania a. 98. Historias, quæ inscriptæ sunt, putat Haasius paulo post annum 107 absolutas et editas esse, Annales autem circa a. 116.

Atque ut jam de hoc libello, qui *de origine situ moribus ac populis Germaniæ* inscriptus est, nonnulla disputemus, primum quidem de consilio hujus libri variæ sunt et discrepantes doctissimorum virorum sententiæ.

---

[1]) *Vide Nipperdey. Corn. Tac. 1 Band Einleitung pag. IV. Jahn Neue Jahrbücher LXXIX. 4 pag. 250—251.*

[2]) *Annal. XI. 11.*

[3]) Nipperd. l. c. pag. VII.

[4]) Nipperd. l. c. Haasius Corn. Tac. opera Vol. I. pag. XVIII.

Sunt enim, qui putent Tacitum in hoc libro conscribendo id præcipue egisse, ut, dum sinceros Germanorum mores simplicitatemque vitæ depingeret, deperditos etiam suorum civium mores, luxuriam, cupiditatem castigaret; alii autem id eum spectasse judicant, ut a bello cum Germanis temere suscipiendo Trajanum deterreret, alii, ut appendix quædam hic libellus fieret majoris alicujus operis, quod edere jam meditaretur, et alii aliter. Sed neque credo Tacitum, si ejusmodi aliquid separatim spectasset, id non aliquo saltem hujus libelli loco indicaturum fuisse, et videtur mihi quidem a Taciti gravitate animi ingeniique vi ac magnitudine alienum fuisse, quum scriberet, quicquam aliud sibi proponere, nisi ut rem, de qua se scribere profiteretur, quam posset fieri diligentissime et e veritate maxime explicaret.

Equidem igitur censeo nihil esse, quod aliud Taciti consilium, quum ad hoc opus aggrederetur, suspicemur, nisi ut diligenter et graviter in Germanorum, illustrissimi illius populi, res, mores, disciplinas inquireret.

Si vero libellum ipsum inspicimus, multa in eo mihi videntur esse indicia, quæ hanc sententiam confirment. Quid enim, quod in iis, quæ ad tractandum suscepta sunt, nihil fere Tacitus prætermisisse videtur, quod ad veram imaginem vitæ ac morum hujus populi exprimendam pertineret? quod in rebus traditis vel affirmandis vel refellendis miram quandam fidem ac diligentiam adhibet [1]? quod, quamvis totius animi voluptate videatur in virtutibus et simplicibus moribus libertateque Germanorum considerandis acquiesce-

---

[1]) Cap. 3. . . . *quæ neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.*

Cap. 5. *Nec tamen affirmaverim nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere; quis enim scrutatus est?*

Cap. 46. *Cetera jam fabulosa, . . . quod ego ut incompertum in medio relinquam.*

re[1]), tamen non omittit etiam de vitiis eorum narrare[2])? Hæc omnia quid indicant aliud, nisi majus quiddam huic operi Tacitum tribuisse, quam ut id alicui ipsius consilio inserviret.

Quibus in his rebus tractandis Tacitus auctoribus usus sit, difficile est dicere, quum nullum fere ipsius de ea re indicium deprehendimus. J. Cæsarem unum nominatim commemorat Cap. 28. Sed alios etiam eum adiisse rerum scriptores compluribus locis apparet. Finckius quidem inter alios nominat T. Livium, Agrippinam, Germanici filiam, quæ in commentariis et orationibus suis multa de Germanorum rebus attulisset, Lentulos Gætulicos, patrem et filium, Plinium majorem, cujus librum de Germania scriptum Plin. minor commemorat, Epist. III. 5: *Bellorum Germaniæ viginti (libri), quibus omnia, quæ cum Germanis gessimus bella, collegit.*

Sed verisimile etiam est, Tacitum multa de Germania cognovisse ex nunciis vel hominum Romanorum, qui in Germania militaverant, vel mercatorum vel denique Germanorum ipsorum, qui multi eo tempore Romam adire solebant.

Codices Germaniæ plus viginti sunt, quorum nullius videtur origo supra annum 1460 repetenda esse. Vetustioris quidem codicis vestigia inventa sunt in libro

---

[1]) Cap. 17. *Severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris.*

Cap. 19. *Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi sæculum vocatur . . . . plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.*

Cap. 20. *Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. . . . Sera juvenum venus, eoque inexhausta pubertas.*

Cap. 7. *In proximo pignora . . . Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores.*

Cap. 23. *Cibi simplices, agrestia poma . . . sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem.*

Cap. 11. *Mox rex vel princeps . . . audiuntur auctoritate suadendi magis quam jubendi potestate.*

[2]) Cap. 22. *Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebræ, ut inter vinolentos, rixæ raro conviciis, sæpe cæde et vulneribus transiguntur.*

Cap. 23. *Si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis vincentur.*

Cap. 9. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent.*

quodam a Ruodolfo Fuldensi monacho nono sæculo conscripto, in quo libro Ruodolfus, quum de Saxonum moribus et institutis loquitur, suis verbis immiscet, quæ Tacitus, Germ. Cap. 4. 9. 10. 11. de Germanis universis tradit. De quo codice ceteroquin nihil auditum est.

Constat autem sæculo decimo quinto exemplar aliquod hujus libri ab Enoc Asculano, qui in Galliam et Germaniam librorum conquirendorum causa profectus erat, in Italiam delatum, et a Pontano, doctissimo quodam viro in Umbria nato et postea procuratore regni Neapolitani, a. 1460 exscriptum esse. Testatur hoc inscriptio quædam codicis a Pontano relicti, qui codex, vel Pontanus, vel Perizonianus vel Leidensis appellatus, continet præter Germaniam Dialogum de Oratoribus et Suetonii de viris illustribus libellum. Inscriptum est enim:

Hoſ libelloſ jouianuſ pontanuſ exscripsit nuper adinvẽtoſ et in lucẽ relatoſ ab Enoc aſculano quãquã ſatiſ mendoſoſ.	M. CCCC LX martio m̄se

. . . . *Temporibuſ enim Nicol. quinti, põtificiſ maximi Enoc Aſculanuſ in Galliam et inde in Germaniam profectuſ conquirendorum librorum gratia hoſ quãquã mendoſoſ et imperfectoſ ad noſ retulit.*

Ritterus, a quo hæc sumpsimus, censet Asculani exemplar idem fuisse atque illud, quod Ruodolfus lectitaverat, et omnes, qui exstant, codices, excepto *Vaticano 1862*, ex Cod. Periz. descriptos esse. Moslerus autem, cujus inspexi librum, qui inscribitur *Cornelius Tacitus über die Weltstellung von Germanien*, non tantam codici Periz. tribuit auctoritatem; judicat contra et hunc codicem et eos, qui ei simillimi sunt, ex pluribus quemque fontibus haustos esse. Cujus quidem rei documento putat esse duplices scripturas, quæ in iis frequentissimæ sint.

Editionibus usus sum:

Ruperti. Hannoveræ MDCCCXXXII.
Kiesslingii. Lipsiæ MDCCCXXXII.
Gerlachii. Basel 1837.

Orellii. Turici MDCCCXLVIII.
Ritteri. Bonnæ MDCCCXXXXVIII.
Finckii. Göttingen 1857.
Haasii. Lipsiæ MDCCCLV.
Halmii. Lipsiæ MDCCCLX.
Mosleri. Leipzig 1862.
Versiones inspexi:
Gerlachii. Basel 1837.
Rothii. Stuttgart 1854.
Mosleri. Leipzig 1862.

Verba scriptoris de Halmii editione maxime exscripsi; codicum tamen scripturis, quæ quidem a Finckio et Moslero redditæ sunt, diligenter collatis, nonnullis locis, si melior mihi visa est alia scriptura, ab Halmio recessi. In verbis recte scribendis nostram consuetudinem maxime spectavi.

Codices, qui in hoc libello memorati sunt, his litteris notantur:

A — Arundelianus.
B — Bambergensis.
F — Florentinus.
H — Hummelianus.
M — Monacensis.
N — Neapolitanus.
P — Perizonianus.
R — Vaticanus 4498.
Ra — Vaticanus 1862.
Rb — Vaticanus VRB. 655.
Rc — Vaticanus 1518.
Rd — Vaticanus 2964.
Re — Vaticanus Palat. 1795.
Rf — Angelicæ Bibliothecæ Augustinorum.
S — Stuttgardiensis.
T — Turicensis.
V — Venetianus.
W — Vindobonensis.

His breviter allatis, sequuntur verba Taciti.

I.

Germania omnis a Gallis Rætisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Ræticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danubius molli et clementer edito montis Abnobæ jugo effusus plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum os paludibus hauritur.

[1]) *Inscriptus est hic liber ab aliis aliter: Cornelii Taciti de origine situ moribus ac populis Germanorum Ritt. cum P. De situ moribus et populis Germaniæ Rup. Kiessl. Orell. cum T. De situ Germaniæ Mosler. cum. Rb.*

[2]) *Danubio F. M. P. R. Rade. S. T. Danuuio Rbfc.*

II.

Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quærebant, et immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, præter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit?

Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ et annalium genus est, Tuisconem deum terra editum et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios assignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, ceteri

1.

Germanien i vidsträckt bemärkelse skiljes från Gallien samt Rætien och Pannonien genom floderna Rhen och Donau, från Sarmater och Dacer genom ömsesidig fruktan eller genom berg; det öfriga kringflytes af Oceanen, som omfattar breda landtbugter och ofantligt vidsträckta öar, efter hvad man i senare tider funnit genom kännedomen om folkslag och konungar, till hvilka kriget öppnat tillträde. Rhen uppkommer på de rætiska Alpernas otillgängliga och branta hjessa och utfaller efter en lindrig böjning i vestlig riktning uti norra oceanen. Donau upprinner på en jemn och sakta sluttande ås af berget Abnoba och besöker flera folk, tills han i sex utlopp störtar sig i pontiska hafvet; en sjunde mynning förlorar sig i träsk.

2.

Hvad Germanerna sjelfva beträffar, äro de i min tanke infödingar och utan all uppblandning genom inflyttningar och upptagande af andra folkstammar, emedan fordomdags de, som sökte nya boningsplatser, icke plägade komma till lands, utan på skepp, och dessutom den omätliga och så att säga fiendtliga oceanen der borta i fjerran sällan befares af fartyg från våra trakter. Och, oberäknadt farorna på ett afskräckande och okändt haf, hvem skulle väl vilja lemna Asien, Afrika eller Italien och begifva sig till Germanien, som med sina oländiga marker, sitt hårda klimat är dystert att bebo och åse, så framt det icke är ens fädernesland?

De fira i gamla sånger — det enda slag af erinringar och historiska urkunder, som hos dem finnes

Istævones vocentur. Quidam, ut in licentia vetustatis, plures deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos Gambrivios Suevos Vandalios affirmant, eaque vera et antiqua nomina; ceterum Germaniæ vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ut nunc Tungri, tunc Germani vocati sint: ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam a se ipsis invento nomine Germani vocarentur.

[1]) *Tuisconem Rde. S. T. Triston. Tuiston. P.*

[2]) *Herminones M. S. H. alii. Hermi*^{no}*nes P. Hermiones Ra. V. alii.*

[3]) *Ut nunc P. ac nunc ceteri.*

III.

Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem baritum vocant, accendunt animos futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur; terrent enim trepidantve, prout sonuit acies; nec tam voces illæ, quam mentis concentus videntur. Affectatur præcipue asperitas soni et fractum murmur objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et Ulixem quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniæ terras Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque; aram quin etiam Ulixi consecratam, adjecto Laertæ patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ Rætiæque adhuc exstare.

— en Gud, Tuisco, född af jorden, och hans son Mannus såsom folkets ursprung och grundläggare. Mannus tillägga de tre söner, efter hvilkas namn de, som bo närmast oceanen, lära kallas Ingævoner, de, som bo midt i landet, Herminoner, de öfriga Istævoner. Några uppgifva med forntidens frihet flera söner af Guden och flera folknamn, Marser, Gambrivier, Suever, Vandalier, och att dessa äro äkta och ursprungliga namn; men att namnet Germanien är nytt och i senare tider tillagdt i anledning deraf, att de första, som gått öfver Rhen och undanträngt Gallerna, ehuru de nu kallas Tungrer, då kallats Germaner; att sålunda namnet på en stam, icke ett namn på hela folket, småningom fått öfverhanden, så att alla först af deras besegrare, för att beteckna den skräck de ingåfvo, sedan äfven af sig sjelfva kallades med det påfunna namnet Germaner.

3.

Man berättar, att äfven Hercules har varit hos dem, och honom främst bland alla hjeltar lofsjunga de, när de skola gå i slagtning. De hafva äfven sådana sånger, genom hvilkas uppstämmande, som de kalla baritus, de elda modet, och af sjelfva utförandet sluta de till den förestående stridens utgång; ty deras anfall blir förskräckande eller tveksamt i mon af härskriets beskaffenhet, och detta liknar icke så mycket toner af menniskoröster, som det snarare synes vara ett uttryck af den gemensamma sinnesstämningen. De söka isynnerhet åstadkomma gälla läten och ett doft sorl, i det de hålla sköldarne för munnen, på det att ljudet genom återskallet må tilltaga i fyllighet och djup. För öfrigt, mena några, har äfven Ulysses på sin långa sagorika irrfärd kommit till denna Ocean och besökt Germaniens länder, och Asciburgium, som ligger vid

Quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

[1]) *baritum R. Re. T. W. in margine S. super script. N. barditum plurimi.*
[2]) *Voces ... videntur codd. vocis ... videtur conjecit Rhenanus, quem secuti sunt Halm. et Haas.*
[3]) *Mentis concentus A. B. virtutis concentus ceteri.*

IV.

Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora et tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia; minimeque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediam cælo solove assuerunt.

V.

Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: numero gaudent, eæque solæ et gratissimæ opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati dii negaverint dubito. Nec tamen affirmaverim nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere; quis enim scrutatus est? Possessione

stranden af Rhen och ännu i dag bebos, skall af honom vara grundlagdt och hafva fått sitt namn; ja, äfven ett af Ulysses invigdt altare, der fadern Laertes namn tillika var anfördt, skall fordom hafva påträffats på samma ställe, och ännu lära några minnesvårdar och grafkullar med grekiska inskrifter finnas qvar på gränsen mellan Germanien och Rætien. Men detta vill jag hvarken söka med bevis styrka eller vederlägga. En hvar må efter eget tycke förklara det för falskt eller sannt.

4.

Sjelf biträder jag deras mening, som anse, att Germaniens folk, utan att derjemte vara uppblandade genom giftermålsförbindelser med andra folkstammar, visat sig vara ett ursprungligt, äkta och fullt egendomligt stamfolk. Häraf också samma utseende hos alla, oaktadt en så stor folkmängd: bistra, mörkblåa ögon, rödaktigt hår, stora men blott för anfall starka kroppar; vid mödor och arbeten icke samma ihärdighet; och aldra minst äro de vana att uthärda törst och hetta, men väl köld och hunger till följd af klimatet och jordmonen.

5.

Landet, ehuru till utseendet något olika, är dock i allmänhet betäckt af vilda skogar eller ohyggliga kärr, fuktigare mot Gallien, luftigare mot Noricum och Pannonien; bördigt på säd, ogynnsamt för fruktträn, rikt på boskap, men denna för det mesta oansenlig. Icke en gång storboskapen har fått sin tillbörliga utmärkelse eller sin stolta pannprydnad; i antalet finna de sin glädje, och detta är deras enda och käraste egendom. Silfver och guld hafva Gudarne nekat dem: af ynnest eller vrede — det kan jag ej afgöra. Likväl

et usu haud perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quæ humo finguntur; quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectatione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

[1]) *non in alia uilitate quam quæ humo finguntur,* plurimi Codices. *Utilitate* F. Rbf. W. *vilitate* editores.

vågar jag ej påstå, att ingen ådra i Germanien framalstrar silfver eller guld; ty hvem har undersökt det? Vid egandet och bruket deraf fästa de icke synnerligt afseende. Man får hos dem se silfverkärl, förärade åt deras sändebud och furstar, hållas i lika litet värde, som de, hvilka förfärdigas af lera; dock veta de, som bo oss närmast, att värdera guld och silfver för dess användning vid handeln, och de känna och föredraga vissa af våra myntsorter; längre in i landet vidhålla de efter en mera enkel och ålderdomlig sed byteshandel. Det mynt, de antaga, är det gamla och länge kända, nämligen serraterna och bigaterna. Också eftertrakta de mera silfver än guld, icke af något slags förkärlek, utan emedan en summa penningar i silfver är ändamålsenligare för dem, som handla med hvarjehanda saker af ringa värde.

Annotationes.

Cap. I.

Germania omnis: proprie Germanien i hela sin omfattning, fattadt såsom ett helt. Vocabulum *Germani* videtur Celticæ sive Gallicæ originis esse, et primo a Gallis Romanisque adhibitum ad omnes transrhenanos populos uno nomine comprehendendos. Ipsam terram Romani vocabant *Germaniam magnam,* quo nomine distingueretur a duabus illis provinciis cisrhenanis, *Germania superiore et inferiore.* Conf. Waitz *Deutsche Verfassungsgeschichte,* Vol. I pag. XII n. 1. Kiepert. Histor-Geograf. Atlas der alten Welt, Einleitung pag. 40—42. et annot. nostr. ad Cap. II. Ex finibus descriptis apparet, Tacitum h. l. eas terras cogitasse, quæ appellarentur *Germania magna.* Quod autem prætermissis provinciis illis *Germania superiore et inferiore,* quæ nomina fortasse etiam non in consuetudinem venerant, tamen adjecit voc. *omnis,* hac re mihi videtur Tacitus voluisse indicare, se uno nomine *Germania* h. l. comprehendere terras, quibus sua quoque propria nomina essent, alia aliis. Conf. ea quæ Cap. II de nomine Germanorum disputavimus. Conf. præterea Cæs. B. G. I. 1. 1. *Gallia est omnis divisa in partes tres,* quarum in descriptione nihil dicitur de provincia illa Romana. Quæ quum ita sint, videor mihi sententiam scriptoris exprimere, quum v. *omnis* interpretor: *i vidsträckt bemärkelse.*

Gallis Rætisque et Pannoniis: nomina gentium pro terrarum. voc. *Gallis* referendum est ad voc. *Rheno,* vv. *Rætis* et *Pannoniis* ad voc. *Danubio.* Ita enim interdum particulæ *que-et* usurpantur, ut *que* conjungat duo membra, quorum posterius etiam contineat duo vocabula per particulam *et* inter se connectenda. Conf. infra Cap. 3. *Aram repertam ... monumentaque et tumulos ... exstare.* Liv. I. 10. 1. *At raptarum parentes tum maxime sordida veste lacrimisque et querelis civitates concitabant ....* Liv. II. 5. 8. *Nudatos virgis cædunt ... cum inter omne tempus pater vultusque et os ejus spectaculo esset.*

a Sarmatis Dacisque: h. l. ex voc. *Germania,* quod antecedit, *Germani* intelligi debent. Suethice quidem ob vocabulum *metu,*

elegantius mihi videtur ita convertere, ut h. l. nomina gentium adhibeantur, præsertim quum subjectiva quædam sit significatio vocabuli *metus.* [*Mutuo metu aut montibus:* videntur mihi hi ablativi non ejusdem prorsus esse significationis, ac pæne dixerim, illum esse abl. caus. hunc abl. instrum. qui dicuntur. Conf. Krüger *Gram. der Lat. Sprache* §§ 388, 389. Ita sæpe a Tacito eidem verbo subjiciuntur ablativi, qui non sunt ejusdem generis. Vide Boett. Lex. Tacit. pag. LXI. Conf. infra Cap. 25. *Servum occidere solent non disciplina aut severitate, sed impetu et ira.* Hist. II. 22. *molares ingenti pondere ac fragore provolvunt.* Fortasse scripsit hæc Tac. cogitans ea, quæ Cæs. B. G. IV. 3. tradita invenerat: *Publice maximam putant esse laudem quam latissime a finibus suis vacare agros* et Ibid. VI. 23. *Civitatibus maxima laus est quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur repentinæ incursionis timore sublato.* Eleganter igitur Tac., quæ est ejus dicendi brevitas, uno verbo *metu* comprehendere videtur totam hanc fere sententiam: *ut ab aliis partibus Germani fluminibus ac montibus a vicinis separati tenentur, sic ab hac parte, ubi certis naturæ finibus circumscripti non sunt, mutuus metus, qui ex mutuis populationibus est ortus, efficit, ut cum vicinis non confundantur.* Conf. Thuc. III. 11 ubi mutuus metus dicitur esse certissimum pignus societatis ac fidei: *Τὸ δὲ ἀντίπαλον δέος μόνον πιστὸν εἰς συμμαχίαν.*

Oceanus: quantum hoc vocabulo Tacit. comprehenderit, non facile est pro certo affirmare. Si locos autem hujus libelli, quibus de oceano aut maris septentrionalis partibus mentio fit, comparemus, veri simile videtur, Tacitum de hac re paululum tantum cognitum habuisse [*Sinus* = "omne quod curvaturam facit" *Servius ad Virg. Æn. XI. 626.* i. e. quod curvatis lineis, sive flexu aliquo, a limite recedit. Significat igitur, a mari spectanti, maris quendan in terram recedentem flexum, si vero a terra res spectatur, loca, quæ in mare procurrunt. Quod Tacitus ipse declarat, quum, quod infra Cap. 35, dicit "ingentem flexum", id deinde, Cap. 27, "*Germaniæ sinum*" nominat. Atque ita voc. *sinus* h. l. intelligendum esse, affirmant exemplis allatis doctissimi editores, Ritterus, Orellius, Gerlachius. Hic affert etiam exemplum ex Agricola, Cap. 30. *Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ defendit,* addens: "aus welcher stelle namentlich die Allgemeinheit dieses Ausdrucks in dem zweiten Jahrhundert hervorgeht, weil eine an sich früher

seltene Wortbedeutung schon tropisch gebraucht wird". Ego quidem puto hanc vocabuli *sinus* interpretationem h. l. vel maxime probari iis, quæ sequuntur: *nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit.* His verbis enim adjectis rem factam commemorat scriptor, ad quam revocatum vult enunciatum illud *latos sinus - - - complectens.* S: *"cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, ubi reges illi ac gentes, quos nuper bello cognovimus, habitant".* Sic ablativis absolutis, qui dicuntur, adhibitis interdum aliquid brevitatis causa subjectum reperitur alteri enunciationi, cui proprie subjectum id quidem non est. Suethice tum aut ita vertendum est, ut addatur aliquid, cui subjici possit id, quod est ablativis illis significatum, aut per enunciationem adjunctam. Conf. Krüg. Gr. d. Lat. Spr. pag. 659 not. 1. De re conf. Plin. H. N. IV. 27. *Tres et viginti inde insulæ Romanorum armis cognitæ.* Item Strab. VII pag. 65. ed. stereot. Lips. 1829. . . . γνώριμα δὲ ταῦτα κατέστη τὰ ἔθνη πολεμοῦντα πρὸς Ῥωμαίους.

insularum spatia: Conf. Cic. de N. D. II. 64, 161. *Spatia immensa camporum.* H. l. præcipue intelligendæ sunt insulæ Danicæ et Scandinavia.

bellum aperuit: de quo bello hic quæstio sit, inter editores non satis constat. Equidem cum Rittero intellexerim omnia ea bella, quæ Druso, Tiberio, Germanico ducibus gesta erant. Quæ quidem sententia videtur mihi loco illo Strabonis nuper laudato confirmari.

inaccesso: participia perf. pass. præcipue ea, quæ cum *in* præp. composita sunt, sæpe habent significationem adjectivorum in — *bilis* desinentium. Conf. Berger, Lat. Stilist. pag. 47.

modico flexu in occidentem versus: Videmus, si hæc, quæ de Rheno dicuntur, comparamus cum iis, quæ infra dicuntur de Danubio, orationem eodem fere modo de utroque procedere. Primum enim docet Tac. unde oriantur hæc flumina, deinde adjicit aliquid de cursu utriusque, — "modico flexu in Oceanum versus" — "plures populos adit" — postremo ubi erumpant. Jam hac re significatum voluerim, voc. *versus* h. l. participium esse. Quod dicit Ritterus, qui censet v. *versus* h. l. præp. esse, verbum *verti* a Tacito poni, "ubi res in contrariam partem dirigatur", nescio an ea hujus verbi significatio hic infirmetur adjectis vv. *modico flexu.* Quum præterea præp. *versus* non videatur mihi bene cum ceteris hujus sententiæ verbis congruere, participium id esse puto, cui subjiciendum sit voc. *ortus.* Conf. Xen. Anab. I, 1, 7 ὑπολαβὼν τοὺς φεύγοντας συλλέξας στράτευμα ἐπολιόρκει Μίλητον.

flexu: difficile est pro certo affirmare, quem Rheni flexum Tacitus h. l. cogitaverit. Ruperti quidem intelligit eum flexum, qui est ad Basileam, sed id non recte credo, quum Tacit. ipse videatur judicare Rhenum ibi vix "sufficere terminum esse". vide infra Cap. 32. *Proximi Chattis certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipi et Tencteri colunt.* Conf. etiam quæ Cap. 29 de agris decumatibus dicuntur. Verisimilius est quod Orell. et Ritt. Gerlachium secuti putant, flexum illum, qui ab Arenaco incipiat, h. l. intelligendum esse. Si autem tabulam geographicam, quæ dicitur, inspicias, quærendum sit fortasse, nonne spectaverit Tacitus omnem eum Rheni cursum, qui est inde a Mogontiaco urbe. Ibi enim primum Rhenus, postquam latior jam factus est, in occidentem flectere incipit.

Atque ad hoc suspicandum inde etiam adducor, quod, quum verisimile sit, Romanis Rheni cursum vicinitate bene cognitum esse, mirum mihi videtur, si Tacitus de ultimo tantum ejus cursu dixerit.

Danubius: Celtica origine hoc voc. esse conjicit Kiepert. Græci vocabant hoc flumen *Istrum,* quo nomine etiam a Romanis in inferiore suo cursu appellabatur. Conf. *Plin. H. N. IV. 24 . . . per innumeras lapsus gentes Danuvii nomine . . . et unde primum Illyricum alluit Ister appellatus.* Conf. etiam Herodot. II, 33, "Ἴστρος τε γὰρ ποταμὸς ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν καὶ Πυρήνης πόλεος ῥέει μέσην σχίζων τὴν Εὐρώπην.

molli . . . jugo: abl. h. l. significat locum, unde effunditur flumen. v. *molli* h. l. eam vim subjiciendam censuerim, ut significet, jugum illud leniter curvatis lineamentis, ut ita dicam, assurgere: suethice *vågformig.* Conf. Virg. Aen. VIII, 727. *Euphrates mollior undis.* De Abnoba monte vide Daniel, *Handbuch der Geografie.* Francof. 1861. Vol. III, pagg. 220 seq. 316, 320 seq.

clementer: Scriptores aureæ ætatis, quæ dicitur, hoc voc. maxime utuntur, si de animi affectionibus dicitur.

donec erumpat: Ritterus ad h. l. docet, Tacitum semper, quoties cum particula *donec* conjungat tempus præsens, quod dicitur, formam conjunctivam usurpare.

meatus: Taciti ætatis propria est hæc vocabuli *meatus* significatio.

Cap. II.

Ipsos: hoc vocabulo transit auctor a descriptione terræ ad incolas. Conf. Agricol. cap. 13. *Ipsi Britanni.*

crediderim: Perf. conj. et ab aliis scriptoribus latinis usurpatur, si quid cum modestia et dubitatione dicitur. Cic. Tuscul. III, 4, 7. *Nos autem hos motus concitati animi recte, ut opinor, perturbationes dixerimus.* Liv. VII, 26. *Equidem haud abnuerim Clusium Gallos ab Arunte adductos.*

aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos: s: G. non erant mixti adventibus aliarum gentium quas hospitio accepissent. Confer hujus rei similitudinem apud Liv. I, 1. ubi narratur, quomodo advenæ Trojani in hospitio apud Latinum regem essent.

nec — advehebantur — et — aditur: particulis *nec — et* frequentissime duæ enunciationes copulantur, quarum altera negatur, altera affirmatur. *Vide Madv. Lat. Sproglære §. 468. c.* Eodem modo apud Græcos sæpissime se excipiunt part. *οὔτε-τε*.

mutare-quærebant: apud aureæ ætatis scriptores solutæ orationis non facile inveneris v. *quæro* hoc modo usurpatum.

ultra: significat h. voc, ut mihi quidem videtur, idem fere quod vocabulum *exterior infra Cap. 17.* Conf. Agr. 25. *motus universarum ultra gentium timebantur.*

utque sic dixerim adversus. Quum in hoc loco interpretando, Ritterum, Rothium, Kiesslingium secutus, a Gerlachio, Orellio ceterisque compluribus dissenserim, confiteor me in magna dubitatione versari, utrum recte a me res intellecta sit necne. Sed quod censent hi, vocabulum *adversus* h. l. significare eam terræ partem, quæ esset Romanorum vestigiis opposita, id mihi videntur argumentis non satis comprobare. Nam exempla illa,[1] quibus sententiam suam confirmare student, num aliud indicant, nisi jam illo tempore terram putari globi formam habere? Vocabulum *adversus* autem in his exemplis, uno excepto, ita cum aliis verbis conjunctum est, ut propriam suam significationem prorsus obtineat. In Pliniano illo exemplo, X. 7, videtur quidem voc. *adversus*, ut absolute positum, translatum eum sen-

---

[1]) Cic. Acad. pr. II, 39, 123. *Dicitis etiam esse e regione nobis, e contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos ἀντίποδας vocatis.*

Id. somn. Scip. 6. *Vides ... eos qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim aversos partim etiam adversos stare vobis.*

Ibid infra. — *duo sunt habitabiles (cinguli), quorum australis ille, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus.*

Plin. II, 68. — *hunc, qui septentrio vocatur eumque, qui adversus illi austrinus appellatur.*

Ibid. X, 7. *Vulturum prævalent nigri. Nidos nemo attigit; ideo etiam fuere, qui putarent illos ex adverso orbe advolare.*

sum habere, quem nostro loco huic voci subjiciunt; at hoc unum exemplum non demonstrat, quod vult Gerlachius, eum ejus vocabuli sensum illo tempore jam usitatum esse; quod si esset, etiam in hac Gerlachii et Orellii interpretatione verba *utque sic dixerim* supervacanea essent. Dicunt enim, hæc verba in alia, atque ipsorum, interpretatione esse supervacanea. Quoniam igitur, ut docet Ritterus, hæc significatio vocabuli *adversus* nusquam alibi apud Tacitum reperitur, sed Oceano infra, Cap. 34, vis quædam animata tribuitur, videtur mihi hæc significatio etiam hoc loco tenenda esse. Quod equidem etiam iis quæ sequuntur confirmatum velim; respiciunt enim sine dubio v. v. *horridi* et *ignoti* v. v. *adversus* et *immensus*.

orbe nostro: i. e. circa mare mediterraneum.

præter: hoc voc. specie tantum h. l. excludit, re vera autem conjungit verba *periculum horridi et ignoti maris* cum iis, quæ sequuntur ad sententiam scriptoris comprobandam. Conf. Liv. XXIII, 14. *Romanos præter insitam industriam animis fortuna etiam cunctari prohibebat.* Vide Krüg. *Gram. der Lat. Sprache*, pag. 441 not. 2.

cultu = att bebo. Conf. infra, Cap. 16. *Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.* Ibid. Cap. 28. *Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt.*

nisi si: in hac particularum conjunctione ellipsis quædam latet ita, ut ad vocabulum *nisi* aliquod ex antecedentibus intelligendum sit; h. l. fere: *nisi aliter se res habet, si patria sit.* Vide Reisig. *Vorlesungen üb. Lat. Sprachwissensch.* §. 457. Quum h. l. hæ particulæ proxime pertineant ad verba *tristem cultu aspectuque*, tamen etiam spectant ad *quis peteret.* S: *qui Germaniam incolunt indigenas crediderim; nam nisi essent, numquam, credo, eam petissent, neque petitam incoluissent, quum tristior sit cultu . . . quam ut id ii, quorum patria non sit, ferre possint.* Ceterum usurpantur hæ particulæ, ubi aliquid non pro certo affirmatur, sed tantum dicitur esse posse. *Conf. Liv. VI. 26. 5.* ed. Weissenborn. *Hic noster . . . habitus fuit eritque semper, nisi si quando a vobis . . . arma acceperimus.* Eodem modo Græci utuntur particulis εἰ μὴ εἰ. Vide *Devar. de Græcæ linguæ particulis.* ed. *Klotz. Vol. II. pag. 525.*

memoriæ: h. l. quod rerum memoriam conservat.

Tuisconem: J. Grimmium secutus ita scripsi, non cum Halmio, Finckio ceterisque Tuistonem. Grimm. enim acutissime docere studet, hoc nomen ducendum esse a vocabulo quodam *tiv*, quod videatur cælum significasse, et *tivisco* igitur, quod in tuisco

facile transire posset, significare *cælestem*. Vide Orell. ad hunc locum *excurs. I.*

Ingævones: harum gentium quas nationes quæque comprehenderit parum compertum est. *Ingævones* autem putantur habitasse inter Rhenum fere et Viadum flumina, præcipue in ora maritima. *Herminones* in interioribus Germaniæ regionibus usque ad Danubium *Istævones* inter Viadum fere et Vistulam. Vid. Lübker, *Reallexicon des Class. Alterthums* et Forbiger. *Orbis terrarum antiquus.*

Quidam . . . affirmant: a carminum monumentis transit auctor ad ea, quæ rerum scriptores tradiderunt, quorum quidem sententiæ usque ad finem Cap. 3 referuntur.

ut in licentia vetustatis = *ut in licentia vetustatis fieri potuit.* Particula *ut* videtur h. l. causali quodam sensu explicationem rei continere. Alio modo usurpatur hæc particula in Cic. Senect. 4. 12. *Multæ etiam, ut in homine Romano, literæ,* ubi restringendi quandam vim habet. Conf. Kühn. ad Cic. Tuscul. I. 8. 15. et Nägelsbach. Lat. Stil. ed 3. pag. 110.

in: de hac hujus particulæ significatione vide. *Krüg. gram. d. Lat. Spr. §. 381. an. 3. 3. a.*

nationis-gentis: hæc vocabula h. l. ita intelligenda esse, ut *natio* significet partem gentis, ipsa sententia indicat. Ceterum his vocibus promiscue Tacitum uti, multis locis hujus libelli apparet. Conf. Cap. 4. 10. 14. 15. 19. 25. aliaque multa.

a victore: Quamvis prope nescio quid hoc de loco difficillimo sentire debeam, tamen afferenda ratio est, propter quam cum Kiesslingio et Rothio a sententia, quam defendunt Gerlachius, Orellius, Ritterus et alii complures, abierim. Censent enim illi vocabulo victore significari *Tungros*; sed mihi quidem primum quærendum videtur, num verisimile sit, Tungros, si nomen Germanorum habuissent et si tantum valuissent, ut possent efficere, ut nomine ipsorum omnes transrhenani populi postea vocarentur, num igitur verisimile sit, ipsos id nomen tam cito amissuros fuisse. Id equidem vix crediderim, quare ad vocabula *vocati sint,* quæ paulo antecedunt, intelligenda esse judico v. v. *a Gallis.* Deinde videtur mihi v. *omnes* h. l. ita notionis primariæ vim habere, ut ad v. victore. quod sequitur, intelligendum sit voc. *suo.* Si hæc vera sunt, puto *Romanos* significari v. victore, et rem hoc fere modo expedire velim: Ea pars transrhenanorum populorum, Celtæ illi quidem æque ac Galli ipsi[1]), qui primi

---

[1]) Strab. IV. 4. pag. 315. ed. Stereot. Lips. 1829. *Ἀλλ' ἐκ τῶν παλαιῶν χρόνων τοῦτο λαμβάνομεν περὶ αὐτῶν τῶν Γαλατῶν ἐκ τῶν μέχρι νῦν συμμενόντων παρὰ τοῖς Γερμανοῖς νομίμων. καὶ γὰρ τῇ φύσει καὶ τοῖς πολιτεύμασιν ἐμφερεῖς εἰσιν οὗτοι*

Rhenum transgressi sunt, appellabantur, etsi alii alia nomina haberent[2]), a Gallis communi aliquo cognomine, quo facilius distinguerentur ab aliis populis, quibuscum intra Galliam Galli bella gererent. Atque hoc cognomen, sive Gallica lingua ita prorsus sonuit, sive aliter, a Romanis certe vocabulo *Germani* redditum est. Qua de causa ita appellarentur, haud affirmaverim; sed suspicari liceat, hanc vocem aliquid in se habuisse, quo posset significari, hos populos metuendos esse. Nam et Gallos et Romanos vehementer eos metuere, multis locis in Cæsaris Commentariis apparet.[3]) J. Cæsar igitur, qui invenit ante se nomen aliquod, quo populi transrhenani universi comprehendi possent, utebatur eodem in Commentariis suis. Ac fieri potest, ut is præcipue, quod censet Rothius, a Tacito h. l. spectetur, præsertim cum nomen Germanorum primum sine dubio per Cæsarem victorem Romanis innotesceret. Si denique meminerimus, Romanos fuisse, per quos *Gallorum* et *Græcorum* nomina ut communia illarum gentium nomina in usum venerint, etiam inde suspicari possimus, rem esse ita ut diximus intelligendam.

Cap. III.

Herculem: h. l. videtur, ut infra Cap. 9 (Mercurium Martem) et aliis locis hujus libri, latinum nomen pro barbaro adhibitum esse. Conf. infra Cap. 34 *et superesse adhuc Herculis columnas*

καὶ συγγενεῖς ἀλλήλοις. Idem VII. 1. pag. 63. *Τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου — Γερμανοὶ νέμονται, μικρὸν ἐξαλλάττοντες τοῦ Κελτικοῦ φύλου τῷ τε πλεονασμῷ τῆς ἀγριότητος καὶ τοῦ μεγέθους — διὸ δίκαιά μοι δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τοῦτο αὐτοῖς θέσθαι τὸ ὄνομα, ὡς ἂν γνησίους Γαλάτας φράζειν βουλόμενοι. γνήσιοι γὰρ οἱ Γερμανοὶ κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον.*

2) *Cæs. B. G. II. 4. Condrusos, Eburones, Cæroesos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellantur* (indicativa hujus verbi forma ostendit hoc a Cæsare additum esse) *arbitrari ad XL milia.*

3) *Vide B. G. I. 31.* Sed maxime *I. 39. Conf. etiam Appian.* Vol. I. IV. pag. 45. ed. ster. Lips. 1829. *Καῖσαρ ἐνίκησε τοὺς μετὰ Ἀριοουιστοῦ Γερμανούς, οἳ καὶ τὰ μεγέθη μείζους τῶν μεγίστων ὑπῆρχον, καὶ τὸ ἦθος ἄγριοι καὶ τὴν τόλμαν θρασύτατοι.* Ibid. XVII pag. 53. *δέος δ᾽ ἐμπίπτει τῷ στρατῷ κατὰ τὸ κλέος τῶν Γερμανῶν.*

Conf. etiam infra Cap 37 .. tam diu Germania vincitur .... Non Samnis non Poeni ... sæpius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas.

fama vulgavit, sive adiit Hercules, seu quicquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Item J. Grimm Mythol. I. 108. *»Der darstellungsweise der Römer war es weit mehr angelegen durch freie übersetzung halbe deutlichkeit zu erreichen, als durch beibehaltung barbarischer ausdrücke der nachwelt einen dienst zu erweisen«.*

memorant: intellige *rerum scriptores,* nam ne *Germani* intelligi possint, vocabulo *eos* prohibetur.

primumque --- canunt: pronom. *eum* h. l., ut sæpe apud Tacitum, omissum est. Conf. Boettich. Lex. Tacit. pag. 383 *b*). De re vide Orell. qui exemplis ex aliis quoque scriptoribus allatis docet, hujus generis carmina diu apud Germanos in usu mansisse.

fortium virorum = heroum; vocabulum *heros* autem latine non usurpatur, nisi sensu translato.

hæc quoque carmina: voc. *hæc* videtur Orellio h. l. significare, carmina illa Romanis nota esse = *dessa bekanta sånger.* Mihi vero videntur *hæc* et *quorum* se invicem respicere, et ob eam rem voc. *hæc* adjectum esse, ut indicaret se Tacitus *jam* de alio carminum genere, quo utebantur Germani, dicturum esse. Conf. Freund. *Wörterbuch d. Lat. Spr.* sub voc. *hic.* H) II). De duplici hoc genere carminum Conf. Xen. Anab. VI. 3. 27. Ἀλλ' ἐπεὶ . . . ἐπαιάνιζον καὶ μετὰ ταῦτα ἠλάλαζον . . . ἐνταῦθα οὐκέτι ἐδέξαντο οἱ πολέμιοι.

relatu: hanc vocem Tacitus solus videtur usurpasse.

baritum: de hujus vocis significatione et scriptura dissentiunt editores. Gerl. Halm. Haas. Finck. scribunt *barditum,* quam scripturam Gerl. codicum auctoritate contineri dicit Sed quum quattuor codd. habeant *baritum,* in duobus autem utrumque inventum sit, scripsi cum Orellio et Grimmio *baritum,* quod nomen Grim. putat a vocabulo quodam Frisiaco, *baria = altum clamorem edere,* ducendum esse.

ipso cantu: Cicero sine dubio scripsisset *ex ipso cantu.* Conf. or. in Verr. Act. II. II. 6. 18. *quum ex nomine istius, quid in provincia facturus esset, perridicule homines augurabantur.* De Divin. I. 33. 72. *Calchas, qui ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est.* Tacitus autem sæpe utitur ablativo omissa præpositione.

terrent enim ---- intumescat. Quamvis multam ad hunc locum et recte intelligendum et suethice apte convertendum adhibui operam, vereor tamen, ne longe fortasse absit, ut, quod Tac. significatum voluerit, id a me redditum sit: Sed ut exponam breviter quomodo rem intellexerim, primum quidem mihi videtur Tac. vocabulis *terrent enim trepidantve* adjectis rem quæ fieri soleret commemorasse, ad quam revocaret et ita quasi confirmaret

quod de vi et consilio baritus jam dixerat. Particulæ *enim* h. l. igitur similem quandam vim inesse putaverim, ac Græcis illis particulis **καὶ γὰρ οὖν.** Conf. Xen. Anab. I. 9. 8 ed. Krüger. **(Κῦρος) ἐπέδειξεν αὐτὸν ὅτι περὶ πλείστου ποιοῖτο, εἴ τῳ σπείσαιτό τι, μηδὲν ψεύδεσθαι. Καὶ γὰρ οὖν ἐπίστευον αὐτῷ αἱ πόλεις.** et Devar. *de Græcæ linguæ part. Vol. II. pag. 644.* S. *præsentiunt ex ipso cantu futuræ pugnæ fortunam, quod in eo cernitur, quod aut cum confidentia et hostium terrore, aut trepide impetum faciunt, prout sonuit acies.* Deinde videntur mihi v. v. *asperitas soni et fractum murmur* idem fere significare, atque *asperi soni cum fracto murmure.* Ad *fractum murmur* denique referendam esse censeo sententiam, quæ sequitur: *objectis ad os scutis, quo . . . . intumescat,* qua quidem de causa, v.v. *plenior* et *gravior* præcipue respiciens, adhibui v.v *doft sorl.* Quod enim suethice dicitur sonare *doft,* id etiam plenum quiddam et grave sonat.

mentis: cum Moslero scripsi mentis pro *virtutis;* nam voc. *virtutis* non videtur bene congruere cum antecedenti *trepidant.* Conf. Hist. I. 4 . . . *antequam destinata componam, repetundum videtur qualis status urbis, quæ mens exercituum . . . fuerit.*

gravior: gravis vox >< acuta vox. Conf. Cic de Orat. I. 59. 251. *qui vocem cubantes sensim excitant, eandemque . . . sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt.*

repercussu: hæc vox argenteæ ætatis, quæ dicitur, propria est.

Ceterum: hoc vocabulo Tac., post digressionem factam, revertitur ad ea, quæ a rerum scriptoribus tradita erant.

Ulixem: Conf. quæ de nomine Herculis initio hujus capitis admonuimus.

hodieque = hodie quoque. Hoc sensu etiam apud alios latinos scriptores vocabulum *que* usurpatum reperitur. Conf. Liv. V. 4. 14. *Etruriam omnem adversus nos concitare voluerunt hodieque id moliuntur.* Vide alia exempla apud Boett. Lex. Tacit. sub voc. *et.*

Ulixi consecratam: v. *Ulixi* utrum dativus commodi an dat. auctoris, qui dicuntur, putandus sit, de qua re dissentiunt editores, difficile est dijudicare. Sed mihi quidem, diligenter iis, quæ in utramque partem a doctissimis viris disputata sunt, comparatis, verisimilius videtur, hunc dativum vim habere ablativi cum *ab* præp. conjuncti, præsertim si celebratum illud nomen Ulixis h. l. adhibitum est tantum ad vim barbari alicujus nominis reddendam. Kiesslingius quidem putat, in hac interpreta-

tione id incommodum manere, quod non est additum, cui fuerit ara illa ab Ulixe consecrata. At voc. *consecrare* sæpe absolute ponitur. Conf. infra Cap. 9. *lucos ac nemora consecrant.* Liv. I. 44. . . *locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant.* Præterea vix mihi videtur operæ pretium esse multum in hac re investiganda versari, quum tota narratio ficta videatur esse. Fortasse etiam Tac. consulto h. l. ambigue dixit, quia, quæ de hoc Germanorum Ulixe tradita acceperat, non satis sibi constare viderentur.

monumentaque et tumulos: Conf. ann. ad. Cap. I. *Rætisque et Pannoniis.*

Græcis literis inscriptos: Græcas literas in his regionibus cognitas et interdum usurpatas fuisse tradit etiam Cæsar B.G. I. 29. *In Castris Helvetiorum tabulæ repertæ sunt literis Græcis confectæ.* Ibid. VI. 14. ubi Druidæ dicuntur in publicis privatisque rationibus Græcis literis uti. Hunc literarum Græcarum usum acceperant fortasse Galli a Phocæensibus, qui Massiliam coloniam deduxerant. Conf. Strab. IV. 1. 4. pag. 291. ed. ster. *φιλέλληνας κατεσκεύασε (ἡ Μασσαλία) τοὺς Γαλάτας ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν.* Vide Kiessl. ad h. l. et Krauer. ad Cæs. B.G. I. 29.

demat vel addat fidem: Hæ locutiones videntur proprie idem significare, atque *efficere, ut aliqua res aliis hominibus falsa aut vera videatur,* quo quidem sensu usurpatas eas inveni Hist. II. 50. *Ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate cœpti operis crediderim, ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim.* Liv. I. 16. 5. *Consilio unius hominis addita rei dicitur fides.* Idem II. 24. 6. *Contioni deinde edicto addidit fidem, quo edixit* . . . Hoc loco autem Tacitus, postquam negavit se id facturum, dicens: *quæ neque argumentis confirmare neque refellere in animo est,* videtur permittere legentium pro se cuique, prout quisque ad credendum aut dubitandum inclinat, ut deroget vel tribuat rei fidem. Quum hac tamen in re his locutionibus utitur, idcirco id quidem fortasse factum est, quod simul cogitaret, prout rei a singulis crederetur aut non crederetur, ita etiam futurum esse, ut fides ejusdem apud alios aut augeretur, aut minueretur.

Cap. IV.

accedo: hac significatione usurpatum conjungitur v. *accedo* vel cum *ad* sequente *accusativo,* vel cum *dativo;* si sequitur subst.

quod personam significat, dativus tantum usurpatur. Conf. Nep. Milt. 3. *Ad hoc consilium quum plerique accederent.* Cic. Verr. Act. II. III. 28. *Condemnari cum istius invidia infamiaque malebant, quam ad ejus conditiones pactionesque accedere.*

aliis: hoc voc. quod omnes codices habent, Ritterus ab hoc loco amovendum esse censet. Orellius Longolium secutus interpretatur vocabula *nullis aliis: nullis omnino.* Mihi vero hic venit in mentem usus ille vocabuli ἄλλος, qui apud Græcos frequentissimus est; adjunctum enim id vocabulum substantivis sæpe reperitur, ubi nos pro voc. ἄλλος vel adverbio aliquo, *»dessutom»*, *»derjemte»*, utimur, vel substantivum illud, cui adjunctum est voc. ἄλλος, appositionis loco ipsi vocabulo ἄλλος adjungimus. Ac fieri potest, ut voc. *aliis* h. l. ita a Tacito usurpatum sit, sed, quum insolitum esset eo vocabulo ita uti, ut explicationis causa v. v. *aliarum nationum* idem adjecerit. Conf. præterea Xen. Anab. I. 5. 5. οὐ γὰρ ἦν χόρτος οὐδὲ ἄλλο δένδρον οὐδέν. Ibid. III. 4. 21. V. 2. 31. et Kriig. *Griech. Sprachlehre für Schulen* edit. 3 Vol. I. §. 50. 4. 11.

truces: incertum est unde sit hujus vocabuli origo repetenda. Döderlinius, *Handb. der Lat. Synonymik*, putat a ταράξαι, τρηχύς. Significat quidem v. *trux*, quum de oculis dicitur, magnam eum, cujus oculi ita describuntur, ferocitatem præ se ferre atque terribilem aspectu esse.

magna corpora — valida: videtur mihi inter v. v. *magna* et *valida* adversativa quædam ratio h. l. intercedere, quæ quidem suethice vel ita significari potest, ut dicamus: *»stora och så vidt det gäller anfall starka»;* Conf. Reisig. *Vorlesungen* §. 248. vel ut est supra in interpretatione nostra redditum. Conf. Boett. Lex. Tac. pag. 178. [5]) et Agric. 9. *gravis, intentus, severus et sæpius misericors.*

patientia: conf. Annal. II. 14. jam corpus ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.

Minimeque sitim . . . . tolerare, frigora atque inediam . . . . assuerunt: brevitatis causa v. *assuerunt* semel tantum positum est, quanquam etiam ad antecedens v. *tolerare* est intelligendum. Proprium est enim latini sermonis in hujusmodi sententiis oppositis ad perspicuitatem efficiendam eandem aliquam vocem repetere, ut *Cic. Mil. 9. Dictitabat Consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse* (*men väl lifvet*). *Idem Læl. 5. Namque hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest* (*men ej från vänskapen*). Conf. Berger *Lat. Stilist. Celle 1861. §. 79.* Quæ Taciti est dicendi brevitas evitavit h. l. ipsa verborum collocatione repetere *v. assuerunt.*

solove: i. e. vel cælo vel solo. Vide Boett. Lex. Tac. sub. v. *aut.* Conf. Virg. Aen. VI. 769. *Aeneas pariter pietate vel armis egregius.*

Cap. V.

aliquanto specie differt, in universum tamen: voc. *aliquanto* F. A. Wolff ad Sueton. Cæs. cap. 13. docet, incertæ potestatis esse, sicut cognata vocabula *aliquis*, *aliquamdiu*, *aliquot*. Significat igitur h. v. medium quiddam inter *multum* et *paulum*, sed ita, ut ad unam aut alteram partem propius accedat, prout sententia totius enunciationis desiderat. Conf. Cic. de Fin. II. 14. 45. *Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intelligi potest, quamquam aliquantum potest, quam communi omnium judicio.* Idem Brutus cap. 70. 278. *Non istuc ignoro, multos fuisse, qui verbum numquam in publico fecissent, quum melius aliquanto possent, quam isti oratores, quos colligo, dicere.* v. v. *aliquanto* et *in universum* videntur mihi h. l. opposita esse et voc. *specie* ad utrumque quoddammodo pertinere; ipse verborum ordo videtur mihi hoc indicare — *specie* hæc vox proprie significat "id, quod in quaque re extrinsecus apparet, quod videtur oculis". *Forcellini.* Conf. Hist. V 7. *terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse (ferunt).*

Differt: hoc verbum absolute positum est; intelligi potest: *a specie, quam præbet omnino.*

in universum: Hac locutione Cicero numquam utitur; is enim dicit, *universe*, *omnino*. Apud Sallustium autem et Livium et præcipue apud poetas et posteriores prosæ orationis scriptores sæpe reperiuntur pro adverbiis adjectiva cum *in* præpositione conjuncta. Conf. infra cap 27. *Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus.* Ibid. cap 45. *In tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant.* Liv. IX. 26. 8. *Non nominatim qui Capuæ, sed in universum, qui usquam coissent.* Vide de hac re Reisig. Vorlesungen § 408.

horrida: Conf. Hor. Od. IV. 5. 26 *Quis paveat quos Germania horrida parturit fetus, incolumi Cæsare?*

humidior: propter inundationes Rheni fluviorumque quos ille excipit.

ventosior: qua ad Noricum et Pannoniam vergebat Germania, erant loca editiora et montuosa, quæ ventis vehementioribus patebant. Et Tacitum credere ventos arduis montibus ali, videtur Agricolæ cap. 10. *Ne ventis quidem perinde attolli*

(*mare*): *credo quod rariores terræ montesque, causa ac materia tempestatum. Ventosus* igitur h. l. designat et *siccitatem* et ejus causam, *ventos*, et *montes*.

aspicit: hoc verb. pro v. vergere apud posteriores tantum scriptores latinos deprehenditur.

satis ferax: nonnulli editores voc. *satis* adverb. esse putarunt et interpretati sunt: "ziemlich ergiebig". Mihi vero spectanti ad ea, quæ sequuntur, *frugiferarum arborum impatiens*, videmur ad sententiam scriptoris propius accedere, si cum Rittero, Orellio, aliis, putamus voc. *satis* esse abl. a *sata*, quæ vox significat omnes, quæ seruntur fruges, cujus quidem hujus vocabuli significationis Ritterus multa e Virgilii carminibus exempla enumeravit. Alii censent v. *satis* dativ. esse. Sed *ferax*, ut alia ejusdem significationis vocabula, cum genit. vel ablat. conjungitur, qui casus interdum etiam promiscue ponuntur. Conf. Ovid. Am. II. 16. 7. *Terra ferax Cereris multoque feracior uvis.* Virg. Georg. II. 222. *terra ferax oleo.*

impatiens: dicitur hoc vocabulum proprie de eo, qui neque vult, neque potest ferre. *Freund.* Sed etiam de rebus usurpatur. Conf. Plin. H. N. XXIII. 32. *Mammas lactis sui impatientes fæx aceti exstinguit.* Lucan. 7. 866. *terra hominum impatiens.* Idem 9. 857. *Solum Cereris impatiens.* Conf. etiam Agric. 12. *Solum, præter olivam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum.*

armentis: hoc vocabulum Döderlinius ita a voc. *jumenta* distinguit, ut dicat *armenta* significare "nur das Ackervieh, Ochsen und Pferde"; *jumenta* autem "das Zugvieh, Rinder, Esel, Pferde". Atque voc. *armentis* h. l. significare et equos et boves, verisimile fit, si cum hoc loco comparabimus quæ dicuntur cap. 6. *equi non forma, non velocitate conspicui.*

honor: proprie "reverentia, observantia, quam alicui exhibemus". *Forcellin.* Interdum significat hæc vox pulchritudinem et ornatum, unde honor alicui contingit. Virg. Aen. I. 595. *lætos oculis afflarat honores.* Idem Georg. II. 404. *silvis aquilo decussit honorem.* Hor. Sat. II. 2. 28. *pavoni cocto num adest honor idem?* Ita h. l. videtur quæstio esse de externo illo ornatu, qui et proceritate et forma ac nitore corporis continebatur.

gloria: etiam hoc vocab. poetico more usurpatum est pro re, unde gloria accipitur. Ovid. A. A. I. 290. *candidus, armenti gloria, taurus erat.* Tibull. IV. 1. 208. *seu tardi pecoris sim gloria taurus.* Tac. An. III. 45. *memorare veterum Gallorum glorias.*

Numero gaudent: Conf. Cæs. B. G. IV. 2. *jumenta, quibus maxime Galli delectantur.*

Possessione et usu haud perinde afficiuntur: particulis *haud perinde*, Tacitus ejusque æquales, interdum etiam Livius, utuntur pro: *non magnopere.* Conf. Annal. II. 88. *Arminius canitur adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi.* Sueton. Tiber. 52. *ne mortuo quidem perinde affectus est.* Hunc particularum *haud perinde* usum editores ita expedire solent, ut dicant comparationem quandam intelligendam esse.

Est videre = licet videre. Vide Boett. Lex. Tac. pag. CI. Conf. Annal. XVI. 34. *ut conjectare erat.* et Græcum illud: *ἔστιν ἰδεῖν.*

Non in alia vilitate: pro: in eadem vilitate.

Serrati: nummi, quorum ambitus in serræ modum dentatus erat.

Bigati: Vide Plin. H. N. XXXIII. 13. *nota argenti fuere bigæ et quadrigæ, et inde bigati quadrigatique dicti.*
